





EX SANCTO EVANGÉLIO
SECÚNDUM JOÁNNEM
LÉCTIO

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

2. **H**oc erat in principio apud Deum.
 3. **Ó**mnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est.
 4. **I**n ipso vita erat, et vita erat lux hóminum,
 5. **E**t lux in ténebris lucet, et ténebrae eam non comprehendérunt.

 6. **F**uit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes.
 7. **H**ic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum.
 8. **N**on erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine.
 9. **E**rat lux vera, quae illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum.
- 



10. **I**n mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit.

11. **I**n própria venit, et sui eum non recepérunt.

12. **Q**uotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his, qui credunt in nómine ejus,

13. **Q**ui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt.

14. **E**t Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi unigéniti a Patre, plenum grátiae et veritátis.

15. **J**oáannes testimónium pérhibet de ipso, et clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me ventúrus est, ante me factus est, quia prior me erat.

16. **E**t de plenitúdine ejus nos omnes accépi-mus, et grátiam pro grátia;

17. **Q**uia lex per Moýsen data est, grátia et véri-tas per Jesum Christum facta est.

На латинском языке

Печатается по: Евангелие от Иоанна, зачало 1-е, во Святый и Великий день Пасхи
М., Синодальная типография, 1913

© Издательство Московской Патриархии. 1998

